



**Disputatio secunda contra Concilium Tridentinum de  
autoritate, origine, caussa, certitudine, perfectione,  
sufficienciâ & perspicuitate sacræ Scripturæ Veteris & Novi  
Testamenti,**

<https://hdl.handle.net/1874/423064>

6

**DISPUTATIO**  
**SECUNDA**  
**CONTRA**  
**CONCILIVM TRIDENTINVM,**  
**DE**  
**AVTORITATE, ORIGINE, CAVSSA,**  
certitudine, perfectione, sufficientiâ & perspicui-  
tate sacrae Scripturae Veteris & No-  
ui Testamenti,  
**QVAM**  
**DEO Propitio,**  
**SVB PRAESIDIO**  
**REVERENDI ET**  
**CLARISSIMI VIRI, D. IACOBI AN-**  
**DREA, S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PRO-**  
fessoris celeberrimi, Ecclesiae Tubingensis Praepositi, & Academiae Cancellarij digniss-  
mi, Patroni ac Praeceptoris sui pie & reuerenter colendi, 19. Augusti, hora  
& loco solitis, pro tenuitate ingenij, exercitationis  
gratiâ defendere conabitur

**M. CHRISTOPHORVS SCHOLTIVS**  
*Vratislaviensis Sil.*



**T V B I N G A E,**  
*Excudebat Georgius Gruppenbachius.*  

---

**M. D. LXXXVIII.**

DISPUTATIO

SECUNDA

CONTRA

CONCESSIONEM TRIDENTINAM

DE

AUTORITATE ORIGINIS CAUSAE

causae per se habentis & per se

causae per se habentis & per se

in Testamento

DE

DEO PATERNO

ET PATERNO

REVERENDI ET

CHARISSIMI VIRI BACCALARI

DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P

DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P

DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P

DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P

DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P

DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P

DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P



DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P

DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P

DEI IN THEOLOGIA DOCTORIS ET P

REVERENDIS ET CLARISSIMIS VIRIS, DOMINO  
ESAIÆ HEIDENREICH, S. S. Theologiae Doctori: & Domino M. IO-  
ANNI FLEISCHERO, Ecclesie Vratislaviensis Pastoribus:  
amicis & fratribus in Christo hono-  
randis,

IACOBVS ANDREA D.

SALVTEM.



REVERENDI ET CLARISSIMI

mi viri, fratres in Domino honorandi: cum Vratislavia ornatissimus Iuuenis, M. Christophorus Scholtius, ad Academiam nostram accessisset: sæpenumero non modo pietatem & zelum vestrum in propaganda sincera & incorrupta doctrinae coelestis veritate, verum etiã institutione Gymnasij fidelissimã, summè prædicavit, in qua à puero educatus, eò per gratiã Dei sua studia perduxit, ut Theologicã disputatione ei committerem, in qua ingenij vires periclitaretur. Idcirco potissimum consilio, ut inclytus vrbis vestrae Senatus profectum studiorum ipsius intelligeret: cuius in iuuantis studijs iuventutis liberalitas, iam inde à multis annis celebrata est. Quod pietatis studium, non modò laude dignissimum, sed Ecclesiae & posteritati nostrae, si quæ futura est, valde necessarium est. Postquam enim Antichristus Romanus vidit, regnum suum ex scholis nostris pie constitutis debellari & plurimum debilitari: æmulatione excitatus, per novum genus hominum, sub nomine societatis Iesu, quam plurimis scholis saluificam doctrinam Iesu Christi vnicuique Salvatoris nostri extirpare, & vicissim Ecclesijs nostris summè nocere studet. Quamvis autem successum aliquem in stabilienda pontificia impietate sibi polliceantur, de quo etiam plurimum gloriantur, & eorum eruditio mirifice commendetur: res ipsa tamen docet, eos in pingendis & incrustandis Pontificijs manifestis erroribus fundamenta sua non in sacris literis, sed in Philosophicis argutijs & Ecclesiae potissimum autoritate ponere, quam supra Scripturam sacram impie prædicant, quæ illis incerta, dubia, obscura, manca, mutila & (ut colloquuntur Pontificiorum, Vvormatiæ vangionum, anno 1557. in

4  
Colloquio, autoritate Imperatoris & omnium ordinum Imperij, in-  
stituto, verbis vrar) **NON VOX IUDICIS**, sed **MATERIA LI-  
TIS EST**. Quam impiam & blasphemam vocem Pontificiorum  
Collocutorum, D.D. Paulus Eberus, pig memorix, & ego, deputati  
Notarij Colloquij nostris manibus descripsimus, & in comitijs Au-  
gustanis anno 1559. in publico coetu omnium ordinum Imperij nō  
sine horrore maximo recitari audiui. Quæ certissimum signum est  
aduentus Saluatoris Christi ad extremum summum iudicium: cūm  
verbum ipsius in terris pro iudicis voce minimè amplius habeatur.  
Sicuti de Coætaneis Noah scriptum est: Non disceptabit Spiritus  
meus cum hominibus in seculum. Quemadmodum enim extrema  
eius seculi impietas diluuium attraxit: sic quoq; blasphemæ hæ vo-  
ces aduentum filij hominis ad iudicium maturabunt. Et ipse Chri-  
stus horribili sua voce vel tandem istis blasphemis hominibus se iu-  
dicem in verbo suo demonstrabit: sicut scriptum est: Qui spernit  
me, & non accipit verba mea: habet, qui iudicet illum. **SERMO  
QVEM LOCVTVS SVM, ILLE IVDICABIT EVM IN NO-  
VISSIMO DIE**, Vbi Iesuitæ, noui Pontificij Regni Aduocati,  
experientur: **Vox iudicis ne an materia litis Scriptura  
fuerit. DOMINVS vos vestrasq; Ecclesias  
quàm diutissimè incolumes con-  
seruet, Amen.**

Disputa-

# Disputatio

## DE SCRIPTURA SACRA.

### THESIS I.

**P**OSTquam in prima Disputatione contra Concilij Tridentini decreta de conciliorum autoritate, ex unanimi Prophetarum & Apostolorum, adeoque totius Ecclesie purioris consensu, demonstratum est: unicam iudicij & veritatis amussim, normam, regulam & Canonem esse Prophetica & Apostolica scripta, in libris Veteris & Novi Testamenti comprehensa, secundum quam omnes controuersie Religionis cognoscenda, iudicanda, & dirimenda sunt: visum est, alteram quoque de Scriptura sacra autoritate proponere, quam in Concilio Tridentino iurati Papa Ministri & mancipia, tanquam incertam, obscuram, mutilam, mancarn, imperfectam, adeoque insufficientem esse ad lites in religione exortas dirimendas vociferantur, quod non omnia contineat, qua ad fidem & mores pie viuendi pertinent.

2. In arce autem ponendum esse iudicauimus, quod D Petrus in secunda Epistola scriptum reliquit: Non humana voluntate allatam esse olim Prophetiam: sed Spiritu sancto inspiratos, locutos esse sanctos DEI homines.

3. Ex quo manifestum est, unicum Scriptura sacra Prophetica, & Apostolica autorem, videlicet Spiritum sanctum esse: a quo, tanquam ab ipsa indubitata veritate omnis eius autoritas dependet.

4. Etsi enim varij eius Scriptores habentur, cum plures libri in Scriptura sacra reperiantur non ab una persona scripti: O-

Disputatio de

4  
nines tamen vno eodemq; sancto Spiritu gubernatos fuisse certum est, cuius oracula non propria somnia sunt secuti.

5. De ea, vt vniuerso mūdo constaret, ex Scripturis diuinitus inspiratis nihil ad posteritatem conseruari voluit, priusquam tabule Decalogi DEI digitis conscriptæ essent: quâ ratione dignitas & autoritas Scriptura sacra plurimum illustratur & confirmatur.

6. Nam quod de libris quibusdã scriptis ante diluuiũ & ante tabulas manu DEI signatas, quidã narrant autores: eo ipso si dem eis derogare voluit Dominus, quod ad posteritatem transmissi non sunt: vt maior scriptis à Deo certo inspiratis accederet autoritas, qui suis digitis initium scribendi sacra fecit.

7. Quod autem post doctrinam religionis, de vero DEI cultu (his mille quadringentis & sexaginta vno annis, absq; literis viuo sermone conseruatam & propagatam, quam ob rem Patriarchis etiam tam longo tempore, anni vita ipsorum prorogati sunt) DEVS sua manu in tabulis decem verba consignare voluit, & Moyse mandauit, vt ex ore eius reliqua scriberet: infinita DEI sapientia ad Ecclesia vtilitatem factum est.

8. Postquam enim doctrina cœlestis, temporibus Patriarcharum iam inde vsq; à Mundi exordio posteris viua voce, sine scripto, quasi per manus tradita est: puritas verbi DEI & cultus diuini propter naturæ humanæ corruptionem, non fideliter conseruata, sed & ipsa corrupta, adulterata, & tandem ferè prorsus deleta est: quam DEVS temporibus Noë collapsam viua voce restituit, & stupendis miraculis confirmauit: eamq; ob causam ab Apostolo preconiustitia appellatus est.

2. Pet. 1.

9. Etsi verò ante dissipationem posteritatis Noë, non modo filios, sed etiam nepotes, & quotquot ab ipsis procreati sunt, magna pietate & fide in vera religione erudiuit, & sincerum DEI cultum diligenter annis 350 inculcauit, quibus post diluuium vixit: quàm negligenter tamen à posteritate conseruata fuerit, vel  
solius

Scriptura sacra.

*Solius Sempropagata posteritas, ubi sedes vera Ecclesia eo tempore fuerat. luculenter testatur, in qua precipue tanquam in peculiari DEI populo conseruanda fuit.*

10. Etenim Thare pater Abraham, cum à confusione linguarum vix ducenti anni elapsi essent, manifestâ Idololatriâ contaminatus fuit. Iof. 24.

11. Hinc manifestè apparet, quàm lubrica & incerta custodia & conseruatio doctrina cœlestis fuerit, qua in traditionibus sine scripto posita fuit.

12. Cum igitur traditiones vera doctrina adulterata & deprauata essent: eius puritatem DEVS per reuelationes peculiare Patriarchæ Abraham renouauit.

13. Ex quo tempore licet vsq; ad mortem duodecim Patriarcharũ filiorũ Iacob illibata permanserit: magna tamen ipsius inclinatio horum mortem secuta est: populo vsq; ad exitum ex Aegypto in multiplicem Idololatriam prolapsa.

14. Cui ita Israelitæ addicti fuerunt, vt nulla ratione miraculorum habita, quæ Dominus in egressu illis ostenderat, cum breuissimam temporis moram Mose moleste ferrent, horribilem Idololatriam in conspectu DEI, vitulo aureo ad cultum proposito, committere non formidarent.

15. Cum autem per traditiones lux doctrina purior paulatim extingueretur: placuit DEO aliam rationem instituire, vt scriptis diuina autoritate & testimonio approbatis & confirmatis, puritas doctrina cœlestis propagaretur & conseruaretur.

16. Etsi verò scripta Mosis suam propter autorem Spiritum sanctum autoritatem etiam absq; humano testimonio obtinent: tamen vt humana imbecillitati consuleretur, DEI iussu tabula Decalogi manu DEI exorata in arca faderis posita, & Mose scripta in inspiratione diuina cõsignata, in latere eiusdem arca collocata sunt. Deut. 31.  
Quorum custodia non Sacerdotibus duntaxat commendata, sed etiam Regibus descriptum exemplar traditum, vt prima Deut. 17.  
pariter



2. Par 11.  
Deut 6.

pariter & secunda tabule custodes essent: cuius verba vulgus etiam in postibus, ianuis, limine & ostijs scripsit.

17. Cui rei cum sexcenta millia hominum, testimonium perhibere potuerint: de veritate librorum Mose, Prophetarum Principis in populo Israëlítico dubitatum fuit nunquam.

1. Sam 30.

18. Eadem quoque reliquorum Prophetarum autoritas fuit, qui Mosen in populo Israël per interualla temporis secuti sunt: quorum volumina etiam coram Domino, ubi arca fæderis erat, reposita & diligenter asseruata sunt.

19. Quotquot etiam, singuli Prophetarum auditores suarum concionum habuerunt: tot veritatis testes, non modò sui singuli hominibus, sed etiam posteris fuerunt.

20. Eadem quoque prorsus scriptorum noui Testamenti Evangelistarum & Apostolorum ratio est, qui historiam Euangelicam & in ea vitam, doctrinam & miracula Christi ea fide descripserunt, quam ne quidè per duelles Christi excæcati Iudæi nostra ætate negare: sed de veritate factorum, contra suam ipsorum voluntatè, testari coguntur, quamuis doctrina Christi fidem non habeant.

21. Sed longè maius testimonium vera Ecclesiæ est, cuius tempore Apostolorum scripta edita & probata fuerunt, quæ (ut Aug. scribit) non solum ab Ecclesiâ Christi, verum etiam ab ipsis Apostolis probari meruerunt.

22. Quod enim manus Apostolorum testabantur, quibus ipsorum scripta extabant: idem Ecclesiæ quoque confirmabant, à quibus diligenter ipsorum scripta asseruabantur.

23. Idem reliquæ etiam Ecclesiæ vno ore asserbant, quibus sine scripto eadem doctrina in Evangelistarum & Apostolorum scriptis comprehensa, ore tenus ab ipsis Apostolis tradita, vel ab illis descripta fuit.

24. Ad quarum testimonia, scriptores Ecclesiastici antiquissimi contra hereticos prouocabant, qui, ut Tertullianus testatur, Scripturas quasdam vel non recipiebant, aut si quas recipiebant

incipiebant adiectionibus & detractionibus, ad dispositionem instituti sui interuerterunt.

25. Quod Irenaeus quoque confirmat, qui ad hunc modum scribit: Cum ex scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum: *QVASI NON RECTE HABEANT* neq; sint ex autoritate, & quia variè sint dicta: & quia non possit ex his inueniri veritas. Lib. 1. cap. 8.

26. A qua macula ut scriptura vindicaretur: contra hereticos eius autoritatem labefactare conantes, ad primas Ecclesias vel ab ipsis Apostolis vel Apostolicis viris plantatas, prouocarunt sinceri doctores, *QVAE* omnes (ut Tertullianus loquitur) Primæ & omnes Apostolicæ: dum omnes probant unitatem, in quibus eadem doctrina reperiebatur, quam Euangelistarum & Apostolorum scripta continebant. De praescriptis.

27. Itaq; cum aduersus hereticos, scripturarum & veritas & autoritas, earum Ecclesiarum testimonio sufficienter asserta esset, quæ eandem doctrinam absq; scripto quasi per manus traditam fideliter asseruabant & custodiebant: *Omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspirabat, veritati deputandam, in vera DEI & Apostolica quoq; Ecclesia, extra omnem controuersiam positum fuit.* Verba Tertulliani, ibidem.

28. Ad quod nunc tot seculorum consensus in vniuerso terrarum orbe accedit, quo scripta commemorata, cum veteris, tum Noui Testamēti semper authentica & vera habita sunt: de quibus vel minimum dubitare, nefarium semper iudicatum est.

29. Vnde facile etiam intelligi potest, in Canone librorum sacrorum constituendo, non liberam Ecclesie voluntatem vlllo tempore fuisse: sed vetustatis, adeoq; primarum Ecclesiarum infallibili testimonio alligatam, quæ reliquæ omnes doctrinæ, eodem Tertulliano teste, de mendacio praiudicandæ, quæ contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum & Christi & DEI sapiebant.

30. Quo nomine Euangelia etiam, quorundam Apostolorum

rum, Matthia, Thomae, Bartholomæi, Iacobi, Philippi, Petri & Andrea nomine publicata ab Ecclesia repudiata sunt; quædam Matricibus & Originalibus non consentirent, quorum veritas indubitata erat, & ἀντόγραφῶν Apostolorum in Ecclesijs tempore Tertulliani adhuc extabant.

2. Tim. 1.

31. Hinc simul apparet, qua ratione Apostolus Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis appellauerit.

32. Veritas enim in Scripturis sacris comprehensa omnem eamq; summam autoritatem à Spiritu sancto habet, cuius inspiratione prodita est, quæ respectu sui humano testimonio minimè indiget. Sed quoad posteritatem Ecclesijs Matricibus & Originalibus maxime hoc Encomium debetur: quòd indubitati testes fuerint veritatis doctrina Apostolica partim scriptis partim voce & viuo sermone propagata.

33. Etsi verò idem quoq; Ecclesijs Apostolicis tribui potest, quæ matrices & originales Ecclesias decursu multorum seculorum secuta sunt: eas tamen non alia ratione columnam & firmamentum veritatis esse dicere possumus, quàm eà, quòd ab illis quasi per manus traditos accepimus sacros libros, originalis & matricis Ecclesiæ testimonio confirmatos. Siquidem veritatis corruptela iam inde à temporibus Apostolorum sequentibus seculis in Ecclesiam irrepsit, & creuit, donec Antichristus formatus est, de quo Propheta, Christus & Apostoli vaticinati sunt.

34. Constituto ergo librorum sacrorum veteris & noui Testamenti canone, tanquam unicà regulà, amussimè & normà veritatis doctrina cœlestis, certissimà & indubitata: eorum autoritas in Ecclesia semper summa meritò iudicata est, cui omnis humana autoritas Patrum & Conciliorum subiecta fuit.

Gal. 1.

35. Aduersus quam neq; vniuersa Ecclesia, neq; Patres, neq; Concilia quicquam statuere possunt: sicut scriptum est: Si aut nos ipsi, aut Angelus è cœlo aliter Euangelisauerit, quàm nos Euangelisauimus vobis: Anathema sit.

36. Huc

36. Huc illud Augustini pertinet, contra Cresconium l. 2. c. 31. Nos nullam facimus Cypriano iniuriam, cum eius quaslibet literas à Canonica diuinarum scripturarum autoritate distinguimus. Neg, enim sine caussa, tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, **QVOS** omnino iudicare non audeamus, & secundum quos de ceteris literis vel fidelium vel infidelium **LIBERE IVDICEMVS.**

37. Etsi verò in Canone librorum sacrorum Prophetarum & Apostolicorum, quæ extra omnem dubitationis aleam sunt posita, etiam alia scripta inserta sunt, quæ Hagiographa, Ecclesiastica & à Hieronymo Apocrypha appellantur, de quibus dubitatum fuit, an certò Apostolorum essent, quorum nomen & titulum præferebant: parem tamen cum prioribus autoritatem in Ecclesia primitiua non obtinuerunt. Quæ, Hiero: teste, in Ecclesia ad edificationem plebis, non ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam legebantur.

38. Hoc cum minimè ignorarent Tridenti congregati Pontificij Doctores: meritò damnanda est illorum temeritas, quòd parem cum indubitat is scriptis Propheticis & Apostolicis in Canone comprehensis autoritatem, his quoq; Apocryphis tribuerunt.

39. Vt igitur regula fidei & veritatis doctrina cælestis certa & minimè dubia esset: **EX SOLIS CANONICIS** libris, Ecclesiastica dogmata confirmanda, primitiua Ecclesie doctores piè & rectè iudicarunt.

40. Adora Scripturæ **PLENITVDINEM**, (scribit Tertullianus contra Hermogenem) scriptum esse doceat Hermogenis officina. **SI NON EST SCRIPTVM:** timeat vah illud adijcientibus aut detrahentibus destinatum.

41. De certitudine igitur Scripturæ sacre & Canonicorum librorum cum consset: non iniurià etiam Concilij Tridentini impietas execranda est, quâ Ecclesie persuadere conatur, non omnia

perfectè & sufficienter in Scripturis Canonice comprehensa, qua ad salutem aeternam necessaria sunt.

42. Cum enim finis totius ministerij Ecclesiastici, in his quatuor potissimum capitibus consistat: videlicet, in explicatione dogmatum Ecclesie, in refutatione errorum, in institutione vitæ & morum, & in correctione eorum, quæ ad præscriptum diuinæ voluntatis in vita & moribus desiderantur: ea omnia in Scripturis sacris, non modò sufficienter, sed superabundanter contineri, certissimum & apertissimum est.

43. Non autem noua, aut à Pontificijs primùm hæc exorta est querela, Christum Apostolis non omnia reuelasse, sed multa Ecclesie DEI successu temporis reuelanda, Spiritui sancto reueruata esse, quæ Apostolis ignota fuerint.

De præscriptionibus  
hæreticorum.

44. Quin eadem & longè tetrior hæreticorum vox fuit, de qua Tertullianus testatur: Solent, inquit dicere, NON OMNIA APOSTOLOS scisse, eadem agitati dementia, quæ rursus conuertunt: Omnia quidem scisse Apostolos, sed non omnia omnibus tradidisse. In utroque Christum reprehensioni injicientes, quia ut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit. Quis enim integra mentis, credere potest, aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit? indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu, in conuictu, quibus obscura quædam, seorsim differrebat, illis dicens, datum esse cognoscere arcana, &c. Et paulo post: Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit. Dixerat planè aliquando. Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modò ea sustinere: tamen adijciens: Cum venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos docet in omni veritate: ostendit illos nihil ignorasse, &c.

45. Extant autem aperta testimonia, quæ hanc hæreticorum & Papistarum falsam opinionem manifestè refutât. 2. Tim. 3. Tu verò permane in his, quæ didicisti & credita sunt tibi, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instituere ad salutem, per fidem

per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim Scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit homo DEI ad omne opus bonum paratus. Act. 20. Non subterfugi, quin omne consilium DEI vobis annunciarer. 1. Io. 5. Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomen Filij DEI, ut sciatis, quod vitam habeatis eternam. Ioan. 20. Hæc scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus filius DEI, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius. Psal. 19. Lex Domini perfecta, unde sanè constat omnibus, doctrinam cælestis veritatis in sacra Scriptura perfectè traditam esse.

46. Etsi verò euentissima Pauli verba Pontificij adulatorum eludere conantur, cum dicunt, utilem quidem esse Scripturam & ad eam rem valere, sed solam minimè sufficientem esse: quæ tamen subiunximus testimonia, contrarium euidenter demonstrant.

47. Aug. In his quæ aperte posita sunt in Scriptura: inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresq; viuendi, spem scilicet & charitatem.

De doctrina Christiana l. 2. c. 9.

Athanasius. Sufficiunt sanctæ & diuinitus inspirata Scripturæ ad omnem instructionem veritatis.

Contra gentes.

Chrysostomus: Quicquid quaritur ad salutem: TOTVM id impletum est in Scripturis.

In 22. C. Matth.

Cyrillus: Necessarium nobis est, diuinas sequi literas, ET IN NVLLO AB EARVM PRAESCRIPTO recedere.

De recta fide ad reginas.

48. Et per absurdum esset, vnâ & eandem doctrinæ Christianæ partem in sacris literis sexcenties repetitam: aliam verò non minùs ad salutem necessariam, prorsus omissam & præteritam esse.

49. Non minor sacra Scripturæ perspicuitas, quàm perfectio est: sicut scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Et: Præceptum Domini lucidum, illumi-

Psal. 119.

Psal. 19.

72  
 2. Pet. 1. nans oculos. Et: Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucerna lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

50. Idem uno ore omnes purioris Ecclesia primitiva Patres testatur: inter quos Lactantius facile primas tenet, cuius hæc sunt verba: Num DEVS & Mentis & vocis & lingua artifex DI-SERTE LOQVI NON POTVIT? Imò verò summa providentia carere fucō voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.

Chrysostomus: Omnia clara sunt & plana ex scripturis sacris: Quæcumq; necessaria sunt, MANIFESTA sunt.

Idem. Non multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Absurdum enim est, de pecunijs non credere alijs, sed ipsas numerare & supputare: de rebus autem multò amplioribus, aliorum sententiam SIMPLICITER SEQVI: præsertim cum habeamus EXACTISSIMAM TRVTINAM, gnomonem & regulam, diuinarum legum assertionem. Ideo oro vos omnes, VT RELINQVATIS, quid hinc vel illi videatur: & de his A SCRIPTVRIS hæc omnia inquirete.

Idem: Sciens Dominus tantam confusionem rerum in nouissimis diebus futuram, ideo mandat, ut Christiani, qui sunt in Christianitate, VOLENTES FIRMITATEM accipere vera fidei, ad nullam rem fugiant, nisi ad Scripturas. Alioquin si alia respexerint, scandaliſabuntur, & peribunt, non intelligentes, quæ sit vera Ecclesia, & per hæc incident in desolationem abominationis, quæ stat in locis Ecclesie sanctis.

51. Quòd verò Petrus de Pauli Epistolis scribit, esse in illis quedam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant (οἱ ἀμαθῆς καὶ ἀσίγητοι ἑρβλάδοι) sicut & ceteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem: non solum de genere sermonis sublimiori, verum etiam de rebus ipsis intelligendum est, quæ à carnalibus hominibus & fulgore Spiritus sancti non illuminatis nunquam

quam percipiuntur, sed ad ipsorum peruersum de rebus preconceptum iudicium detorquentur.

52. Ut maximè autem in aliqua parte Scriptura locus occurrat, qui aliquid obscuritatis habet: plures illustriores reperiuntur in eadem, quibus obscuritas omnis discutitur.

53. Falsò igitur à Pontificijs Scriptura sacra cereus nasus affingitur. Est enim & manet regula chalybea, immota veritas verborum & testimoniorum Spiritus sancti, quorum deprauatio ab intelligentibus facìle deprehenditur.

54. Ad quam rem in primis linguarum, præsertim Hebraica & Græca cognitio accommodata est, ut in obscurioribus locis ad fontes recurrere & controuersias dirimere possimus: siquidem libri Canonici veteris Testamenti, Hebraico, Noui autem Testamenti, Græco sermone scripti sunt.

55. Quod cum ita se habeat, & res ipsa comprobet: meruè etiam alterum decretum quarta sessionis Concilij Tridentini damnandum est: quo statuit, ut vetus & vulgata editio Bibliorum, in Ecclesia multis seculis vsitata, de cuius autore controuertitur, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur: & quod eam nemo recere quouis prætextu audeat vel præsumat.

56. Quibus verbis primùm obliquè damnant, si in alias vernaculas linguas præter latinam, Biblia transferantur. Quæ res Antichristi Spiritum prodit, qui vulgus Christianorum in perpetua ignorantia voluntatis & legis diuinæ retinere conatur.

57. Quanta verò impietas & ingratitude erga DEVM 1. Cor. 14. est, linguarum vsu Ecclesiam spoliare velle, quem D. Paulus ad Corinthios commendat? Siquidem hac ratione non amplius liberum erit, ipsis fontibus limpidissimis plus credere, quam riuulis turbatis.

58. Quocirca detestanda & abominanda est audacia & profanitas



fanitas Gregorij de Valentia, Iesuita Ingolstadiani, qui in *Analy-  
si fidei Catholica* in hac verba erumpere non erubuit. Porro, in-  
quit, ex dictis intelligitur, nullo modo auctores illos audiendos es-  
se, qui adhuc post Concilium Tridentinum contendunt, posse et-  
iamnum editionem vulgatam per Hebraicos & Gracos codices,  
tanquam per fontes, ut aiunt, in locis aliquibus, quod ad ipsam  
sententiam atinet, emendari. Non licet hoc facere. Quin potius  
Graci & Hebraici codices, sicubi à nostra editione dissideant, per  
nostram corrigendi & emendandi sunt. Nam hanc Ecclesia PER  
OMNIA PROBAVIT, NON ILLOS. Quamquam  
nec illos reiecit, NISI VBI HVIC NOSTRAE EDI-  
TIONI CONTRADIXERINT. Haectenus verba Hi-  
spani.

59. Qua in parte non tam consentientibus suffragijs Pa-  
trum & doctorum purioris Ecclesiae veteris, quam suis ipsorum  
decretis propriis, illi Arcopagita contradicunt: ubi hac Augustini  
sententia citatur: Ut veterum librorum fides de Hebrais volumi-  
nibus examinanda est: Ita novorum veritas Graci sermonis  
NORMAM desiderat.

60. Et quod maximè considerandum venit, translationem  
Noui Testamenti ab Erasmo adornatam, cum Leo X. tanquam in  
filio probaret: Eundem postea in haeticorum Catalogum relatum  
nunc Concilium damnat.

61. Pari reprehensione dignum est, quod Scripturae sacrae in-  
terpretationem sibi solis cum suis sacrificulis vendicant: quando  
decernunt, ne quis Scripturam contra eum sensum, quem Roma-  
na Ecclesia tenet & tenuit, interpretetur: cuius solius sit iudicare  
de vero sensu & sententia Scripturarum.

62. Prophetia enim seu interpretatio scripturarum, peculi-  
re donum DEI est, & non certa Ecclesiae alligatum, sed Ecclesijs  
in uniuerso orbe dispersis commune: cuius rationem Apostolus  
Ecclesiae Corinthiaca praescripsit, cum ait: Prophetiae duo aut tres  
loquantur,

loquantur, & ceteri dii uident. Si uerò alij fuerit reuelatum assidenti, prior taceat. Potestis enim singillatim omnes prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationem accipiant. & Spiritus Prophetarum Prophetis subijciuntur. Quibus uerbis Apostolus minimè docet, interpretationem Scripturarum transmarinam quarendam: sed singularum prouinciarum Prophetis commendandam esse.

63. Plus etiam Amphictyones Tridentini Patrum interpretationibus tribuunt, quàm Patres sibi metipsis unquam sumserunt: Quando decernunt & seueriter mandant, ne quis contra Patrum unanimum consensum Sacram Scripturam interpretari ausit.

64. Hieronymus ad Minerium & Alexandrum: Meum propositum est, antiquos legere, PROBARE SINGVLA, RETINERE, quæ bona sunt, & à fide Ecclesia Catholica non recedere.

August. in Psal. 57. Auferantur de medio chartæ nostræ: procedat in medium codex DEI. Audi Christum dicentem, audi ueritatem loquentem.

Idem contra Cresconium l. 2. c. 31. Ego huius (Cypriani) Epistole autoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero. Et quod in eis diuinarum scripturarum autoritati congruit, cum laude eius accipio. Quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

Idem Epist. 19. ad Hieronymum. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo. Prorsus, inquam, non te arbitror, tuos libros ita legi uelle, tanquam Prophetarum uel Apostolorum. Absit hoc à pia humilitate, & ueraci de temetipso cogitatione.

65. Regulam autè exactissimam, ne in interpretatione Scripturarum periculose erretur, Apostolus gentium Rom. 12. prescribit. Cum dicit: Si quis habet Prophetiam secundum gratiam sibi datam, sit analogia fidei.

66. *Et si enim non semper proprium & genuinum sensum cuiusq; loci scripturae assequatur interpres: modò nihil fidei contrarium doceat, omni periculo caret.*

67. *Analogia autem fidei est simplex TEXTVS Catechismi Christiani, Decalogus, Symbolum Apostolorum, Oratio Dominica, Baptismus, Cæna Domini, Absolutio: quæ sex capita doctrinae Christiana, nucleus, medulla, & quasi anima quaedam librorum sacrorum rectè dicuntur: quod in his omnia contineantur, quæ Christiano homini ad æternam salutem cognitum necessaria sunt, sparsim in sacra Scriptura comprehensa.*

68. *Et D. August. Prætoriam hanc autoritatem sibi nequaquam tribuit, ut ab ipsius interpretatione nemini recedere liceat: sed contra suo exemplo sacrarum literarum interpretem in libris, quos de doctrina Christi scripsit, pulchrè instruit: quomodo obscuriores loci per illustriores explanandi, & vera sententia secundum fidei analogiam ex phrasi Scripturae, ex circumstantiis, ex collatione locorum haurienda sit.*

69. *Quid? quod in perpetuam dubitationem de vera et germana sententia Scripturae sacrae, cœtus fidelium adduceretur: si non ex sola Scriptura, sed ex unanimitate consensu Patrum petenda esset, qui non modò inter se, verum etiam interdum secum ipsi dissentiant & pugnant.*

70. *Quapropter cum in interpretatione sacrae Scripturae non Regia aut Pontificia autoritas valeat, sed certa regula à Spiritu sancto omnibus interpretibus dictata sint, quas sequi oportet: Concilij hoc de interpretatione Scripturae decretum, merito tanquam falsum, impium & tyrannicum in Ecclesia damnatur.*

71. *EX quibus omnibus manifestum est: Ro. Antichristum cum sui Consilij Tridentini Patribus, Romano Imperatori, omnibus totius Christiani orbis Regibus, Principibus & Ordinibus, in primis verò Germania turpissimè illuisse: dum repurgationem Ecclesiae ab omnibus erroribus, & conseruationem puritatis doctrinae*

*Euangelij*

Euangelij in primo decreto quarta sessionis, tam splendide & magnifice promittunt, contrarium verò in primo aditu & vestibulo turpiter præstant: in quo sacram Scripturam pro vnica & sola norma veritatis nequaquam recipiunt. Quam ad docendam Euangelij veritatem, vt mancam & mutilam, & ad dirimendas controuersias Religionis, tanquam insufficientem, incertam & obscuram, flagitiosè accusant: adeoq; blasphemò ore, non vocem Iudicis, sed materiam litis appellant. Deniq; à fontibus ad riuulos, ab originalibus & matricibus linguis, ad vnicam translationem vulgatam plurimis in locis corruptam, & cum fontibus apertè pugnantem, in omnibus disputationibus, lectionibus, prædicationibus, expositionibus, tanquam solam authenticam omnes reuocant: & quòd hanc vulgatam translationem nemo reiicere quouis pretextu audeat, vel præsumat. Traditiones verò humanas ad fidem & mores pertinentes, in Ecclesia Romana in hunc vsq; diem usurpatas, tanquam vel ore tenus à Christo vel S. S. dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipiendas, sub pœna anathematis mandant: vt omnes intelligant, eos de vlla emendatione errorum, abusuum & humanarum traditionum (non modò sine verbo DEI, sed etiam contra expressum DEI verbum in Ecclesiam introduetarum, de quibus tot seculorum querela extant) nunquam cogitasse, quas gladio & igne mordicè tuentur.

De quibus proximâ Disputatione, de  
traditionibus in Ecclesia,  
agemus.

F I N I S.

934695  
OCN 66831204

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

F I N I S

Te  
abo  
ea.  
In  
col  
a lo  
id  
Te  
A  
ul  
ozū  
fm  
e a  
ff  
a  
to  
y  
of  
rd  
n

